

1758. MENSE AUGUSTO. VARASDINI.

Articulus Generalis, Anno 1758, 28. et sequentibus Mensis Augusti diebus, Varasdini, celebratae Congregationis.

Acta et Articuli Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae, in Generali eorundem, ex edicto et sub Praesidio Excellentissimi et Illustrissimi Domini Comitis Domini Francisci de Nadasd Perpetui Terrae Fogaras, praefatorum Regnorum Bani, eorundemque Confiniorum Colapiano-Vunanorum Supremi Capitanei, Generalis Equitatus, unius Legionis Equestris Militiae Hungaricae, duorum item Pedestrium et unius Equestris Regiminum Banalium Colonelli, Sacratissimae Caesareae Regiaeque Majestatis Actualis Intimi Consilarii, Comitatum Comaromiensis perpetui, Alberegalensis vero Supremi Comitis, pro die 28. et subsequis Mensis Augusti Anni 1758, Varasdini, celebrata Congregatione conclusi.

Articulus Primus.

Acta Septem Conferentiarum adprobantur.

Relatis Septem Conferentiis, ab ultima generali Regni Congregatione celebratarum, ac 1. quidem 24. Februarii Zagrabiae sub praesidio Suae Excellentiae Locumtenentialis, in merito praestandarum per Bona etiam Maritima Tyronum; 2. 14. Februarii Zagrabiae praesidente aequae Suae Excellentiae Locumtenentiali, in merito finalis sponsonum et medelarum Complationis; 3. 12. Martii Zagrabiae praesidente Excellentissimo Domino Locumtenente, Banali in merito obstruendae fluvii Czirkvenschak rupturae; 4. 20. Martii Zagrabiae sub praesidio Suae Excellentiae Locumtenentialis, intuitu fiendae per Dominos Regni Ablegatos relationis; 5. sub praesidio Suae Excellentiae Banalis Varasdini 7. Aprilis; 6. Zagrabiae sub praesidio Suae Excellentiae Locumtenentialis in merito reparandae Savi rupturae; 7. demum praeside Sua Excellentia Locumtenentiali Zagrabiae 1. Martii, in merito providendorum Neo-Statutorum Tyronum, habituum actis, eadem in publico adprobata atque applacitata sunt.

Articulus Sextus.

De Regulatione antelati Officii Commissarialis.

Quoniam Dominis Statibus et Ordinibus e re visum esset, ne officium Militaris Regni Commissarii ad dies vitae propagetur, ideo determinatum est, ut electi modo praevisio Commissarii officium non nisi ad triennium duret, singulis autem Annis rationes suas de universis emolumentis Confiniariis suo modo praesentare et reddere teneatur, nonnisi praesentatis illis salarium habiturus; caeterum Instructionem in publico modificatam et ad modernum Statum accomodatam,